

16  
DISSERTATIO THEOLOGICO - HISTORICA,  
DE  
PROPAGATIONE FIDEI  
PER VIM ARMORUM,  
à  
PRAXI ECCLESIAE  
CHRISTIANÆ ALIENA,

*Quam*  
Numine Trinuno adspirante,

*Sub Præsidio*

DN. JOH. GVILIELMI BAJERI,

S. S. Theol. Doct. ejusdemque Facultatis Profes. Publ.

DN. Patroni, Præceptoris, studiorumque suorum Promotoris,  
omni pietatis ac observantiæ cultu ætatem  
prosequendi,

*Publico Eruditorum Examine subicit*

CONSTANS à Geldern / Rev. Livonus,  
In Auditorio Theologorum

Die Martii A. C. M. DC. LXXXVI. 1686

---

*Jena, Literis Bauhoferianis.*

Inclutæ Metropoleos Æstthoniæ Revaliensis

V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis, Pruden-*

*tissimis, Amplissimis, deque Republicâ laudatâ Meritissimis Dominis,*

CONSULIBUS,

DN. CHRISTIANO Strahlborn. DN. HENRICO Stampehl.

DN. ERNESTO Hahn. DN. CASPARO Dunten.

SYNDICO,

DN. PHIL. FRIDERICO MÜLLERO.

SENATORIBUS,

DN. HERM. zur Mühlen.

DN. ANDREÆ Hæck's.

DN. HENRICO à Geldern.

DN. DIETERICO Witte.

DN. JUSTO Dunten.

DN. ANDREÆ Stampehl.

DN. JOHANNI à Schoten.

DN. JO. DIET. Korbmacher.

DN. NICOLAO à Bieler.

DN. EBERHARDO Lohmann.

DN. PAULO STRUERO.

DN. THOMÆ Kahl.

DN. BERNHARDO à Thier.

DN. WANDALIO Hueck.

SECRETARIO,

DN. ANDREÆ ALBERTI.

Dominis Patronis, Parenti ac Meccoenatibus,

summâ cum animi observantiâ ad cineres usque sanctissimè  
colendis, Faustitatem Regiminis, Fata ex voto fluentia  
devotissimè precatus,

*Sacrorum studiorum in Academiâ Jenensi*

*Specimen sacrat atque offert*

Illorum Nobiliss. &

Ampliss. Nom.

Venerator perpetuus

Constans à Geldern/

Author-Respondens.



IN NOMINE SS. TRINITATIS!

*Proœmium.*



uot, quantisque limitibus *studium converten-*  
*di animas* cæteris hominum erga alios operi-  
bus antecellat, vix, ac ne vix quidem verbis  
exprimi potest. Vult profectò Deus O. M. o-  
*mnes homines salvos fieri*, atque ut salvari que-  
ant, vult porrò, ut *omnes ad agnitionem veri-*  
*tatis perveniant*: Paulò teste I. Tim. II. 4. Ideo-  
que doctrinam, quam recipiant, ita revelavit, ut ad omnium noti-  
tiam posset pervenire; eos etiam, quibus jam obtigit salutaris agni-  
tio illa, præsertim Ministros verbi atque Ecclesiarum, & Magistra-  
tus Christianos obligat, ad præstandam omnem, quam possunt, o-  
peram, ut salutaris Notitia ac Fides magis magisque ad plures per-  
tingat; ut ignorantes doceantur, errantes in viam veritatis reducan-  
tur, ut cultus Dei sincerus vigeat ac ferveat, Ecclesia Dei conser-  
vetur, atque amplificetur. Itaque cætera studia, quibus alii mortalium  
alios adjuvant, suâ quidem laude non carent, verùm hujus ἀκμὴν  
non attingunt: illa enim corporalem, hoc spiritualem: cætera tempo-  
ralem, istud æternam spectat felicitatem. Quam in rem S. Jacobus Ep.  
c. V. 19. 20. *Fratres*, ait, *si quis inter vos erraverit à veritate, & con-*  
*verterit quis eum, sciat, quòd qui converti fecerit peccatorem ab errore*  
*vix suæ, salvam faciet animam à morte, & operiet multitudinem pec-*  
*catorum*. Paulus quoque *Salvatores aliorum* vocat, qui in docendis  
aliis sincerè occupantur. I. Tim. IV, ult. Sic igitur non solum super o-  
mnia virtutum opera, sed super omnia etiam charitatis opera opus illud  
est, quò viam salutis docere, & ad agnitionem divinæ veritatis homines  
perducere nitimur. *Chrysostomus* Comm. in Gen. c. I. Homil. 3. ait: *Ea &*  
*nostra salutis erit occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo*  
*utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manucentes. Et ut scias,*  
quan-

quantum bonum sit cum salute nostrâ & alios lucrari, audi Prophe-  
tam ex persona Dei dicentem. (Jer. XV. 19.) Qui educit pretiosum à  
vili, quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem,  
ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit:  
quantum homini licet, me imitatur. Et Leo M. Serm. de S. Laurentio:  
Nullus bonus, inquit, sibi soli bonus est, nec cujusquam sapientis sibi  
tantum amica est sapientia; Et hæc verarum naturam virtutum est, ut  
multos à tenebricoso abducant errore. Deo sanè nihil ita gratum,  
nihilque ita curæ est, quam salus animarum: nec Proximo aliquid  
utilius, exoptabiliusve a nobis accidere potest, quam salutis ipsius  
animæ fidelis procuratio. Sed quemadmodum formam honestam a-  
liorum virtutis operum haud raro induunt ac mentiuntur ea, quæ  
longissimò ab illis distant intervallo, ac fatendum est, quod Sallustius  
in Catil. ex Thucydide scripsit; Pridem nos vera vocabula amisisse,  
quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, forti-  
tudo vocetur: quem secutus Seneca Ep. XLV. Virtus, inquit, nobis sub  
virtutum nomine obrepunt; temeritas titulò fortitudinis latet; mode-  
ratio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur: Ita zelum in pro-  
paganda fide ac Religione sæpè simulant, quæ à genuino, quod Deus  
postulat, studio in his occupato prorsus aliena sunt. Ac fieri po-  
test, ut aliquando homines vel sibi ipsis vel aliis videantur λα-  
τρεσίαν wegen θεού τῷ Θεῷ, scilicet, qui pro aris pugnent, Religio-  
nem promoveant, animas lucrentur; etsi illis accidat, quod porrò  
Job. XVI. v. 3. legimus, ut neque Patrem neque Christum ipsi recte  
noverint; aut cum Pharisæis profelytos faciant, non tam cœlestis re-  
gni hæredes, quam Gebennæ filios. Matth. XXIII. v. 15. Neque inso-  
lens est, Ecclesiæ Veteris, piæ atque innocentis exemplum jactari,  
quando mores & actiones tantum ab ejus legibus & consuetudine  
recedunt, quantum ab aureo aut argenteo seculo ferreum distare  
potest. Quæ cum apud animum expenderem, operæ pretium esse  
dixi, hoc ipsum argumentum aliquanto plenius accuratiusque juxta  
Scripturas & Antiquitatem Ecclesiasticam tractare, propagationem  
fidei ac Religionis per arma, à sincerâ Christianorum in hoc negotiò  
occupatâ operâ distinctam exhibere. Deus, cujus causa hæc est,  
Spiritus sui gratiâ conatus nostros dirigat  
atque adjuvet!





## §. I.

Quemadmodum *vites propagari* dicuntur, cum ex una suppressa generantur plures; (quâ ratione *suboles herbarum & propagines vitium* conjungit *Apulejus* in *Apol.*) ita *Fides propagari* dicitur, cum fidelium pauciorum opera fideles alii plures fiunt; prout *Ecclesiam fidelium Matrem* vulgò cum *Scripturâ* dicimus.

§. II. Fidem autem hoc loco intelligere tenemur eam, quæ primum est ex his, quæ ad Religionem seu cultum Dei sincerum ac salutarem pertinent; & à quâ cætera, quæ religionis sunt, pendent & cum eâ junguntur. Quare & *Religionem propagari* dicimus, quando magis magisque augetur numerus Cultorum Dei, ac plures fiunt, qui unò communi *vinculo pietatis obstricti Deo religantur: unde ipsam religionem nomen accepisse*, testis est *Lactantius* Lib. IV. *Instit.* cap. XXVIII.

§. III. Cæterum Fidei quidem vox in hoc negotio, (alias enim, quæ alibi occurrunt significationes, hîc negligimus) *vel* accipitur pro actu aut habitu mentis, quò divinæ revelationi assensum præbemus, *Credentes* inde appellati: (quanquam, si de peculiari objecto sermo sit, in quod tanquam causam bonorum nobis impetrandorum ferimur, etiam voluntatis actus, qui *fiducia* dicitur, includatur, atque cum habitu assentiendi etiam *pia affectio* habitualis jungatur; uti aliàs ostenditur;) *vel* pro doctrinâ, quæ assensu fidei amplectenda & credenda, imò ad excitandum illum assensum, potens atque efficax est. Facile autem intelligitur, in præsentî negotio rem eodem redire, seu priori seu posteriori sensu fidem propagari dicamus.

§. IV. Nam quando fides pro actu aut habitu credendi accepta (quam aliàs dicunt fidem, quâ creditur) propagatur, utique simul propagatur doctrina fidei; (aut fides, quæ creditur:) Actus enim ille aut habitus, ubicunque est, ibi versatur circa suum Objectum; neque producitur de lege communi in ullo subjecto, nisi mediante ipsâ doctrinâ tanquam organò divinitus destinatò. Et ex adverso, doctrina fidei propagari dicitur, quando ad plurimum hominum cognitionem ita pertingit, ut eam assensu suo tanquam divinitus revelatam, necessariam ac salutarem, approbent & recipiant:

4.  
assensu autem non qualicumque, sed qualis ab his, qui verè fideles sunt, requiritur, ut hòc ipsò verè credentes sint, ac rectè denominentur.

§. V. Nempe cùm aliud sit, simulare fidem ac religionem; aliud, esse fidem, ac Deum, qui in Spiritu & veritate coli vult, reverà colere: sanè ad veram propagationem fidei non sufficit, ut homines quoquò modò perducantur ad externam professionem, quàm præ se ferant fidem, à quàm tamen alienus est animus: sed requiritur, ut actiones eorum, qui fidem propagare nituntur, ad hunc scopum rectè collineent, ac tales sint, quales postulat ratio subjecti, quod & quatenus ad fidem illam veram ac salutarem perducendum est.

§. VI. Equidem fidem ipsam, quæ supernaturalis est, nemo nisi Deus, virtute suà infinità, in homine accendere potest & accendit: Homines autem dicuntur *propagare fidem*, quando, quod suum est, velut servi Dei, *plantantes & rigantes* conferunt, ut *semen* aut medium fidei applicetur hominibus; unde illi, concurrente Deo, fidem concipiant, atque ita numerus fidelium augeatur, & Religio floreat magis ac vigeat.

§. VII. Facile constat, his, qui fidem propagaturi sunt, incumbere, ut, cùm *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei: Rom. X. v. 14.* ideò vel ipsi prædicent verbum aliis, ad fidem perducendis, vel operam dent, ut per alios illis prædicetur verbum seu doctrina fidei.

§. VIII. Certè hoc est, quod Christus Apostolos iussit *prædicare Evangelium omni creatura*; quòdque illi *exierunt, prædicantes ubique, Domino coperante & sermonem confirmante per signa subsequèntia. Marc. XVI. v. 15. 20.* Eoque pertinet, quod Petri sermone *audito, homines ter mille, compuncti corde mox ad Christiani nominis societatem accesserunt: Dominus autem addidit congregationi quotidè, qui salvi fierent. Act. II. v. 37. 41. 47.* Paulus propagationem fidei ad Gentes, suo ministerio factam, memorans, dicit, se inde *ab Hierusalem & in circumiacentibus regionibus usque ad Illyricum implevisse Evangelium Christi Rom. XV. v. 19.* Et ad *Colosf. I. v. 6.* scribit: *Sermonem veracis Evangelii pervenisse ad Colossenses ita, ut, quemadmodum in toto mundo, sic & in ipsis fructificave-*





cauerit. Idem Rom. X. v. 18. <sup>§.</sup> indicat, *prædicationem Evangelii jam tunc exiisse in omnem terram & in fines orbis terrarum.*

§. IX. Notandum autem est, quòd iidem illi Propagatores fidei ac Religionis Christianæ, non eloquentiâ aut sapientiâ humanâ, Principum & Magnatum favore publicò, non prudentum hujus mundi consilio adjuti, sed potius persecutorum tyrannorumque vi & favitiâ apertâ obnitente, docendi munus obierunt: ac nihilominus religio & fides Christiana inter durissimas persecutiones tanta celeritate per universum terrarum orbem propagata fuit, ita, *ut fides converforum non esset in sapientiâ hominum, sed in potentiâ Dei,* juxta I. Cor. II. v. 5. atque evidenter constaret, propagationem fidei pendere à divinâ ipsius doctrinæ virtute, Deique assistentiâ, per quam ea in hominum cordibus efficax sit, & modo supernaturali mentes in sui assensum certum atque indubitatum trahat. Conf. B. Musæi Introd. in Theol. P. II. Cap. V. Sect. II. §. VI. pag. 448. 449.

§. X. Equidem, ut hominum mentibus doctrina fidei ad accendendam fidem rectè applicetur, attendendum est ad diversitatem ipsorum hominum convertendorum; qui *vel* divinam originem Scripturæ S. prorsus ignorant, aut præjudiciis occupati negant; uti Gentiles & Pagani; *vel* aliquibus Scripturæ S. libris admisis, ceteros rejiciunt; quod faciunt Judæi: *vel* admisâ totâ Scripturâ, tamen dogmata fidei plura *vel* pauciora negant. Quod ad *illos* (Gentiles) attinet, opus utique est, ut removeantur ab illis obstacula, quæ à meditatione doctrinæ in Scripturis contentæ arcere possunt & solent; nempe falsa persuasio de veritate suæ religionis, & absurditate doctrinæ seu mysteriorum fidei; unde præter argumenta, quibus Paganæ religionis falsitas, impietas, & ad salutem conferendam ineptitudo demonstratur, adducenda etiam sunt illa, quæ vulgò vocantur *signa aut motiva credibilitatis*, quorum alia Scripturæ interna, alia externa sunt: ita enim fiet, ut doctrinam Scripturæ cum attentione legentes aut audientes, virtute divinâ illi conjunctâ fidem divinam concipiant. Quod ad *istos* (Judæos) spectat, equidem de eâ parte Scripturæ, cujus divinitatem agnoscunt, laborandum non est; quoad reliquam vero, quam negant, eòdem ferè modò, quò cum *illis* (Gentibus) agendum est. Circa *postremam* hominum classem, qui Scripturam

104



totam admittunt, attamen dogmata quædam, (licet reverà in Scripturis contenta) non agnoscunt, sed negant; opera danda est, ut ad Scripturam S. (quam esse unicum principium & normam doctrinæ fidei vel conceditur, vel facillè demonstratur) revocentur dogmata, quæ illi non admittunt, eaque in illis contineri ostendatur, & argumenta contraria solvantur. Plura hanc in rem vid. apud B. *Museum* Tract. de Ecclesiâ P. I. Disp. IIX. §. III. seqq. p. 458. seqq.

§. XI. Et quia fidei salutaris productio opus verè divinum est, neque ab humanis viribus, vel docentis vel docendi, pendet; utique illi, qui in convertendis aliis occupantur, facillè intelligent, preces esse fundendas ad Deum pro conversione aliorum. Nam si pro aliis in fide conservandis rectè oramus; utique pro his, qui fidem non habent, quâ indigent, orandum est, ut accipiant fidem: adeoque ut Deus labori eorum, qui in convertendis aliis occupantur, benedicat.

§. XII. Prorsus autem alienum est ab eâ ratione propagandæ fidei, quam ipsa fidei ac religionis ratio postulat, quamque Christus præscripsit, & Apostoli servarunt; quando vi humanâ, minis aut actuali malorum tristium inflictione homines permoventur ad ineundam societatem religionis; sive externam professionem fidei cum aliis conformiter faciendam. Certum est, fidem ipsam, ac religionem internam hâc ratione non posse imperari animis. Non potest vis humana cogere mentes humanas, ut credant id, quod credere nolunt; ut pro verò habeant, quod falsum esse cognoscunt; *Spiritualis est hominis intellectus, nulla vis externa eum tangit, ideoque si corpora maxime affligantur & trahantur, quo volunt principes: intellectum tamen & voluntatem non possunt mutare vel cogere. Hypocritas quidem efficere queunt, ut multi pœnarum metu territi peregrinam religionem simulcent, & sacra ejus frequentent. Ipsi tamen menti nequeunt imperare, ut pro non-veris, non-falsis habeat, quæ vera vel falsa esse novit vel autumat: ait B. Meisnerus Phil. S. P. III. S. II. C. II. Q. III. p. 584.* Christi vero & Apostolorum praxis mansueta, nullum ullius violentiæ humanæ, velut ad propagationem fidei usurpatæ, exemplum aut signum relinquit. Pati vim persecutorum, & stare in fide firmum atq; inconcussum; non inferre vim aut mala convertendis,

dis, mos erat: quod historia Evangelistarum pariter & Actuum Apostolicorum, quæque in Epistolis Apostolorum recensentur, confirmant.

§. XIII. Illi autem ἀπειθευσίαν suam produnt, qui ex parabola *Lucæ XIV. v. 23.* objiciunt verba ἀνάγκασον εἰσελθεῖν. Præterquam enim, quòd parabolam ultra suum scopum privatò ausu extendunt; fateri coguntur, quòd in ipsa parabola verbum ἀναγκάζειν non possit de pœnis corporalibus aut minis, quas servi invitantes hospitibus invitatis & venire recusantibus infligere jubeantur, intelligi. Sanè ita convivæ cogi non solent. Sed quemadmodum Discipuli illi duo Jesum παρεβιάσαστο, veluti vi illatâ; non tamen externam violentiam reverà adhibentes, coegerunt, ut in hospitium Emmaunticum ad societatem cœnæ concederet: cum instanter orarent; *Luc. XXIV. v. 29.* Et Christus discipulos ἠνάγκασεν, cum sermone ad movendos animos composito compelleret, ut conscenderent navim: *Matth. XIV. v. 22. Marc. VI. v. 45.* Petrus quoque Gentes ad Judaismum coegisse (ἀναγκάζων) legitur *Gal. II. v. 14.* cum necessitatem suscipiendi ritus Judaicos svalu & exemplo suo urgere videretur: ita, qui ad fidei sinceræ societatem invitandi sunt, informando, instando, obtestando; non autem æquè violentiâ adversus invitos adhibitâ, cogi quodammodo, seu verius moveri possunt.

§. XIV. Quod si ad Ecclesiam proxime sequentium seculorum convertamur, equidem deprehendimus, discipulos Apostolorum super fundamenta ab his jacta edificasse, prædicationem Evangelii magis magisque promoventes, & salutaria regni cœlestis semina per universum terrarum orbem latè spargentes: ut est apud Eusebium Lib. III. Hist. Eccl. Cap. XXXVII. Addit Eusebius, primâ statim prædicatione, universos simul populos veri Numinis cultum promptissimo animò suscepisse. Idque factum per divinam gratiam & cum labore Prædicantium concursum. Vim humanam, minas, carceres, arma aut media coactiva alia, non memorat: sed potius excludit.

§. XV. Atque hoc quidem fortasse dubiò caret, quòd antequam ad religionem Christianam accessissent Principes seculares; non fuerit seculare brachium ad propagationem fidei adhibitum: quippe quòd  
B qui,

qui eò pollebant, adversi potiùs essent, quàm propensi, sacris Christianorum. Sed ne videatur propagatoribus fidei nostræ facultas tantùm, non voluntas, vi externâ & armatâ utendi, defuisse; (quavis ea, quæ jam diximus, illi opinioni occurrisse videantur:) audiamus breviter sententias expressas præcipuorum eò tempore Doctorum Ecclesiæ. Tertullianus Lib. ad Scapulam sub initium pag. m. 639. *Humani juris ait, & naturalis potestatis est, unicuique quod putaverit colere; nec alii obest alterius Religio. Sed nec religionis est, cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostie ab animo libenti expostulentur. Ita si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris: ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi, si contentiosi sunt. Contentiosus autem Deus non est. Quæ sanè ita clara sunt, ut ex ipsa natura religionis petito argumento universaliter concludant, non licere, (neque adeo Christianos, quorum Deus contentiosus non sit, ullatenus velle) dissentientes à se in religione quoslibet, sive gentiles sive hæreticos, ad societatem religionis cogere. Et in Apologetico cap. XXIII. p. m. 719. Videte, ait, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis & interdicare optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo ab invito coli vellet, ne homo quidem.*

§. XVI. Similiter Lactantius lib. V. divin. Instit. Cap. XX. praxin gentilium, quâ deficientes à suâ religione & Christianam fidem amplexos vi externa reducere ad consortium suum nitebantur, expendens, quamque aliena sit à verâ ac genuinâ ratione religionem tuendi & propagandi, ostensurus; *Si qua illis ait, fiducia est, vel in philosophia, vel in eloquentiâ; arment se, ac resellant hæc nostra, si possunt: congregiantur cominus, & singula quaque discant. Decet eos suscipere defensionem Deorum suorum, ne, si nostra invaluerint, (ut quotidie invalescunt) cum delubris, ac ludibriis suis deserantur. Et quoniam vi nihil possunt (augetur enim religio Dei, quanto magis premitur) ratione potius & hortamentis agant: Procedant in medium Pontifices; seu minores, seu maximi, flamines, augures, item reges sacrificuli, quique sunt Sacerdotes, & antistites religionum. Convocent nos ad concionem, cohortentur ad suscipiendos cultus Deorum, persuadeant multos esse, quorum numine ac pro-*  
vi-

videntia reguntur omnia, ostendant origines & initia sacrorum a. Deorum, quomodo sint mortalibus tradita: qui fons, qua ratio sit, explicent: proferant, qua merces in cultu, qua pœna in contemptu maneat, quare ab hominibus coli se velint: quid illis, si beati sunt, humana pietas conferat. Quæ omnia non asseveratione propriâ, (nec enim valet quicquam mortalis hominis autoritas) sed divinis aliquibus testimoniis confirment, sicuti nos facimus. Non est opus vi, & injuriâ: quia religio cogi non potest: verbis potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas: distringant aciem ingeniorum suorum, si ratio eorum vera est, asseratur: parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certè nihil credimus, sicut ne scipientibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo à nobis retinetur invito. Inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsâ veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est, loquantur, discant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid ejusmodi: jam profectò ab amiculis, quas contemnunt, & à pueris nostratibus error illorum ac stultitia irridebitur. pag. m. 417. 418.

§. XVII. Quod si Ignatianas Epistolas (veteris certè Scriptoris) audiamus; sanè in eâ, quæ est ad Philadelphenses, de vitandis, quantum in nobis est, & corrigendis; minimè verò vi externâ premedis hæreticis, gravis extat dissertatio: quâ imprimis monetur, violentiam illam, quæ in propagandâ aut tuendâ fide adhibetur, Ethnicis relinquendam, à Christianis moribus prorsus alienam esse: *Oscules Dei, ait Auctor, & vos odisse oportet, & super inimicos illius tabescere, non autem percutere, aut persequi illos, ut gentes faciunt, quæ ignorant Deum, & Dominum, sed pro hostibus habere tales, & ab illis segregari. Commonefacere autem eos, & ad pœnitentiam cohortari, si fortè manus dent, monitusque cedant. Clemens enim Deus noster, & omnes homines vult salvari & ad veritatis agnitionem venire.*

§. XVIII. Cyprianus quoque ita confirmat sententiam nostram, ut simul dubio illi occurrat, quo videri posset, dissentientes in religione, velut inobedientes, ac doceri recusantes, Ecclesiæ verò refragantes, propterea vi compellendos aut destr. endos esse; pro-

ut in V. T. nonnunquam adversus Idololatrias actum legimus : Scribit ergo in Ep. LXII. §. 3. *Interfici Deus jussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, Judicibus à se ad tempus constitutis non obedientes; & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad (apud) fideles servos Dei cœpit; spirituali gladio superbi & contumaces necantur; dum de Ecclesia ejiciuntur.*

§. XIX. Quâ occasione simul observamus, quòd Ecclesia illius temporis licet potestate civili, seu brachio seculari destituta esset, habuerit tamen donum vicarium animadvertendi in malos; quemadmodum Act. V. v. 5. 9. 10. legimus, *Ananiam & Saphiram* subita morte periisse, cum mendacio improbo Spiritum Sanctum tentassent; Petrò seu infligente, seu precibus à Deo impetrante, certè denunciante pœnam illam. Nec negandum est, donum miraculorum aliquamdiu durasse in Ecclesiâ. Attamen nullum usquam extat exemplum usurpatæ talis animadversionis in hæreticos, quâ tales, & ad propagandam, eorum internecone aut afflictione, fidem.

§. XX. Sed videamus, quæ Constantini M. Imperatoris Christiani primi & gloriosissimi ætate contigerunt. Constat, Imperatorem omnes quidem homines Christianos esse optasse, neminem autem coegisse. Quam in rem notatu digna sunt verba, quæ *Eusebius*, Lib. II. de Vitâ Const: cap. LVI. ex edicto ad Provinciales, eique inserto precatorio sermone Imperatoris ad Deum, recenset, his, juxta *Valesianam* interpretationem verbis: *Equidem populum tuum pacatè ac sine ullâ seditione degere, pro communi totius orbis & cunctorum mortalium utilitate desidero. Qui autem gentilitatis errore implicati sunt, ipsi quoque eandem cum fidelibus pacis & quietis oblationem lati percipiant. Hac enim communionis ac societatis mutua reparatio, ad homines in rectam viam reducendos plurimum valet. Nemo alteri molestiam faceffat. Et rursus cap. LX. Nemo ex eo, quod ipse animo imbibit, alteri noxam pariat. Sed quicumque aliquid intellexerit ac noverit, eo, siquidem fieri potest, proximum juvet: sin id fieri non potest, omittat. Aliud est enim, certamen pro immortalitate sponte suscipere; aliud suppliciorum vi adigere.*

§. XX.

II.

§. XXI. Et hæc quidem ad Gentilium religionem cum fide Christianâ commutandam attinent. Quod si ea spectemus, quæ ad hæreses tollendas, & unitatem fidei inter Christianos servandam, promovendam, aut restaurandam acta sunt; facilè nobis occurrit certamen Arianum: ubi non dicemus, quòd Imperator, ab Eusebio Nicomediensi, ut videtur, deceptus, illud profus leve, & disputationis salvâ fide ventilandæ loco habendum putarit; quemadmodum ex *Eusebii Cesar. Lib. II. de V. Constant. cap. LXIX. & Socrate Lib. I. H. Ecc. cap. VII.* constat. Sed cum re rectius expensâ, & agnitâ controversiæ, velut fundamentum fidei, ipsumque Jesu Christi cultum, uti naturam, attinentis gravitate; verum à falso discernendum, & errores abolendos, fidem propagandam esse censuisset: nemo tam hospes est in historiâ veteri, qui nesciat, concilium Nicænum eam in rem indictum habitumque; in eo autem Arium & ascleas auditos, & examinatis ad Scripturam rationibus eorum, hæresique ex latebris protractâ & refutatâ, sic demum damnatos, ac solo exiliò mulctatos fuisse: quemadmodum prolixius ostendit *Dn. D. Preses* in peculiari dissert. de Concilio Nicæno, quod adversus *Dan. Zwickerum & Christoph. Sandium* defendit §. 67. seqq.

§. XXII. Hic imprimis notandum est, quod nec *Alexander* Episcopus Alexandrinus, licet ingenti pro religione Zelò adversus Arium exarserit, atque ambitioni Arii, & studio contradicendi, erroris istius natales adscripserit; aliud quicquam quæsit, quam ut cognitâ hæresi, communionem Ecclesiasticâ privaretur pertinax erroris defensor ac propugnator: neque eò, ac Doctoribus ejusdem erroris cæteris, ire jussis, adversus seductos de plebe quicquam gravius statutum, aut emigrandi licentiâ denegatâ, bona ac dignitates civiles abreptæ, aut vis militaris, quâ ad amplectendam fidem Nicænam, abjurata hæresi, compellerentur, adhibita fuit. Et tamen ea haud dubie fuit Imperatoris potestas, & statuendi agendique libertas: ea quoque potentia exequendi, quæ voluisset: denique tantus amor religionis, atque erga Ecclesiæ Doctores benevolentia, ut quæcunque è re Ecclesiæ & ad propagandam fidem utilia futura essent, facilè impetrari ac perfici possent. At enim verò visum est Imperatori pariter atque Episcopis ejus temporis, morem illum, inculcandi religionem

per vim externam, Decius, Diocletianis, eorumque incentoribus relinquendum; aliter Christianis vivendum esse.

§. XXIII. Et ut constet, prorsus displicuisse fidelibus eam propagandæ fidei rationem, quâ mentes eorum, qui ad societatem sacrorum adducendi sunt, autoritate humanâ graventur potius, quàm, ut ex Scripturis informantur; ecce! sponte velut sese nobis offert Sermo egregius, quem *Athanasio, Malleo illi hereticorum*, aliqui adscribunt: alii *Maximo*, ætate quidem nonnihil inferiori, sed Scriptoribus Ecclesiasticis veteribus ac doctissimis jure computando, tribuunt; *adversus eos editus, qui jubent simpliciter credere iis, quæ ipsi dicunt, & non considerare, conveniens sit, an non conveniens? ubi inter alia hæc legimus: Credamne sine judicio, vel sine ratione? Nec inquiram, vel expendam, quid aut fieri possit, aut utile sit, aut debeat, aut Deo gratum, aut nature congruum, aut veritati consonum, aut proposito consentaneum, aut mysterio aptum, aut pietate dignum sit? Ecquid extra hæc lucri? aut quid prodest menti, nihil horum considerare? Sed aures quidem sono verborum adhibere, animam verò nullam, quæ dicuntur, eorum intelligentiam percipere. Docetur etiam ibi, quod hereticorum hoc proprium sit, deprecari examen, ne convincantur erroris; quodque si confutanda sint absurditates & perverse interpretationes, nemo imposturam viam veritatis sit inventurus.*

§. XXIV. Quodsi certiora de ipso *Athanasio* documenta prudentiæ ac moderationis illius, in propagandâ fide per informationem hominum, non autem compellendo ad externam professionem, declaratæ desideremus; memorat *Gregor. Nazianz. Orat. Funebri in laudem ejus habita* (quæ XIII. est edit. Basil. 1550. p. m. 112.) quòd cum Alexandria receptus esset, *purgaverit quidem templum à cauponantibus Deum & vendentibus Christum; non tamen flagello texto, sed ut probabilibus argumentis atque ad persuadendum accommodatis converteret hereticos.*

§. XXV. Ex adverso autem de Arianis constat, quòd fuerint homines improbi & perquam acerbi, qui terroribus & minis potius, quam pietate & æquitate, quod Episcopos decet, ad pœnas deperabant: prout mores illorum describit *S. Synodus Alexandrina* in





in Epistola ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos scripta, quam Apologia suæ secundæ inseruit *Athanasius* sub initium: (p. m. 328. 329. edit. P. Nannii. Basil. 1556.) ac notanda sunt verba Patrum illorum sequentia: *Ista opera Ethnicorum sunt, & non vel tenuiter Christianorum, & minimè omnium Episcoporum, quos aliis justitiam commonstrare oportuit: idque vestram arbitramur in Christo conscientiam bene & luculenter perspicere.* Plenior descriptionem violentiæ Arianorum, in propagatione suæ hæreseos exercitiæ, *Athanasius* exhibet in Ep. ad solitariam vitam agentes, ubi inter alia, p. m. 450. *grave & fædum facinus illorum taxat, qui, quod hominum est minimè sua causa confidentium, invitos ad mutationem suæ sententiæ coegerunt: qui quidem mores sint diaboli, qui nihil veri habet; non Salvatoris, qui mansuetus est.* Et addit: *Non enim gladiis aut jaculis aut militari manu veritas predicatur, sed suadendo. Quæ autem ibi suadendi libertas aut consulendi ratio, ubi, qui contradicit, pro mercede aut exilium aut mortem reportat? Rursus pag. m. 465. Nova autem ista & execrabilis hæresis, cum rationibus obruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere annuitur, atque ita se ipsam, quam non sit pia & Dei cultrix, manifestat.*

§. XXVI. Nec minus memoriâ dignum est, quod *Theodoretus* Lib. IV. Hist. Eccl. cap. xxii. (edit. Vales.) refert, quod *Magnus* quidam, *Comes largitionum comitatensium* ( seu *Præfectus thesauri*, quem Imperator in comitatu penes se habere solebat) *acerbus satellis Imperatoris Valentis, & crudelissimus Satrapa, collectâ multitudine militum, qui sub ipsius curâ ductuque erant, Presbyteros ac Diaconos novendecim numerò comprehenderit, atque avitam fidem ab Apostolis traditam prodere eos coegerit: clementissimo Augusto Valenti gratisimum id fore asseverans. Assentiatis, miseri, clamabat, assentiatis dogmati Arianorum. Quamvis enim vera sit religio, quam colitis, ignoscet tamen vobis Deus: quippe qui non vestrâ sponte, sed necessitate compulsi id feceritis. Nam necessitati quidem excusatio semper relinquatur: liberam autem voluntatem sequitur accusatio. Hæc igitur rationes præ oculis vestris habentes, omni cunctatione abjectâ, & acres accedite ad subscribendum dogmati Ariano, quod nunc diser-*  
tis

is verbis predicat Lucius. Ac pro certo habete, vos, siquidem parueritis, pecunias & opes atque honores ab Imperatoribus consecuturos: si vero renuatis, carcerem, tormenta, quaestiones, flagra & cruciatus vos esse subituros; & pecuniis ac possessionibus cunctis spoliatos, & Patriam extorres, in loca aspera atque incommoda deportandos. Addit autem Theodoretus, quod, licet homo iste fraude & illecebris minas suas temperans, hortatus simul fuerit & coegerit cunctos, ut à pia sententiâ recederent, illi tamen fraudam ejus pariter ac minas sua virtute animique magnitudine calcaverint: atque eorum responsionem prolixè recenset.

§. XXVII. Quanquam verò, mutatis temporibus, subinde praevalerent Orthodoxi, non tamen ad opprimendam hæresin, & suam religionem propagandam à sua mansuetudine discesserunt. Licet enim leges aliquæ Imperatorum, perfertim *Gratiani, Valentiniani & Theodosii*, gravius animadvertere in hæreticos videantur, ita ut convictis hæreseos adimant facultatem docendi, emendi, vendendi, contrahendi; ipsos verò publicatione bonorum prosequantur, in mortem quoque inquisitionem extendi jubeant: vid. l. *Manichæos* IV. Cod. de Hæret. manifestum tamen est, ea non spectare hæreticos quosvis, ratione hæreseos in se, qualemcunque teneant; sed illos, quorum & hæresis & vita manifestè impia, scelerata ac Reip. ipsi perniciofa esset: quemadmodum de *Manichæis* ac *Donatistis*, quorum illic determinata fit mentio, aliàs constat. Quanquam nec negari possit, legum illarum Imperatoriarum non omnium eandem esse notam; atque Arianis à Valentiniano Imperatore exercitium religionis concessum esse, miratur *Gothofredus* ad l. 4. cod. de fid. Cath. fol. 13. sub fin.

§. XXVIII. At h. l. notandum est, quod Doctores Ecclesiæ ejus temporis non solum non postulaverint à Magistratu seculari, ut opprimendis hæresibus ac propagandæ fidei adhiberetur vis militaris; verùm etiam propendentes eò, monitis suis inde abstrahere & vel precibus, additisque rationibus, impedire conatus istos faterentur: quod tanto magis memorabile est, cum attendimus, Patres illos ne quidem his, qui ipsi violenter sese gesserant in propaganda hæresi, vim similem inferri voluisse. Sanè S. *Augustinus* Ep.



Ep. CXXVII. Donato proconsuli Africae scribens, *Donatistas* ita coer-  
 ceri petit, ut ne occidantur: atque hanc gnomen obsignat Epistolam:  
*Diversior est quam utilior diligentia, quamvis magnum deseratur ma-*  
*lum & magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri.*  
 Et in Epistolis CLVIII- CLIX. CLX. ad Marcellinum & Apingiun-  
 scriptis, multam adhibet operam, ut illi, licet atrociora facinora con-  
 fessi, tamen mitius puniantur; scilicet quod *Ecclesiastica mansue-*  
*tudini* ita congruum sit. Neque est, quod dicas, *Augustinum* re-  
 vocasse sententiam illam L. II. Retractationum Cap. V. & in Epist.  
 XLVIII. & L. Nam quae in his locis habentur, eò quidem spectant,  
 quod Augustinus eatenus mutaverit mentem, ut non amplius hæ-  
 reticos & schismaticos à potestate seculari prorsus eximeret, sed ta-  
 men moderatè coercendos doceret: Quemadmodum etiam Ep. L.  
 expresse scribit, *dilectionem nostram in hæreticis corrigendis* apparere  
 debere, ut *ipsis quantum possumus consulamus.* Fac itaque, *Augu-*  
*stinum* eò usque progressum fuisse, ut, cogendos esse hæreticos, ne  
 ulterius veræ religioni ejusque cultoribus apertam malitiam repugna-  
 rent, atque ut se doceri paterentur, statueret; nullo tamen vel levis-  
 simo indicio ostendi potest, suavisse eum, ut pro Doctoribus mili-  
 tes aut carnifices, pro templis carceres, pro libris vincula, ferrum,  
 ignis produceretur.

§. XXIX. Notum est, quanti *Severum Sulpitium* fecerit *Augu-*  
*stinus*, quem tanquam doctrinam & sapientiam pollentem Virum laudat  
 Epist. CCV. At in lib. II. Hist. Sacrae Cap. XLVII. de *Ithacio* Sossu-  
 bensi Episcopo, & *Idacio*, emeritæ ætatis Sacerdote, memorat, quo-  
 modo exorta Priscillianistarum hæresi, non contenti Ecclesiasticam ad-  
 versus illos censura, *seculares iudices adierint*, ut eorum decretis at-  
 que executionibus hæretici urbibus pellerentur. Hæc verò illorum  
 consilia parum sana fuisse judicat *Sulpitius*; & Cap. seqq. L. *Studium*  
*eorum in expugnandis hæreticis non reprebenderem*, ait: *si non studio*  
*vincendi plus quam oportuit certassent.* Ac mea quidem sententia  
 est, *mibi tam reos, quam accusatores displicere.* Addit, *S. Marti-*  
*num* qui tum apud Treviros constitutus fuerat, non desisse increpare  
*Ithacium*, ut ab accusatione desisteret: *Maximum* quoque Impera-  
 torem orasse, ut sanguine infelicitium abstineret: *satis superque suffice-*

re, ut Episcopali sententiâ hæretici iudicati Ecclesiis pellerentur. Novum esse, & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. Denique recenset, quod cum Priscillianus & socii, malefactorum convicti, capitis damnandi censerentur ab Imperatore: equidem Ithacius invidiosum sibi apud Episcopos fore cogitaverit, si postremis rerum capitalium iudiciis astitisset, ideoq; subtraxerit ipse se cognitioni, sed frustra, quippe callido jam scelere perfecto: postquam autem Patricio quodam, Patrono fisci, accusatoris partes sustinente, Priscillianus & socii pessimo exemplo necati aut exiliis mulctati essent, Ithacius Episcopatu detrusus fuerit, licet culpam derivatæ in hæreticos violentiæ civilis, in eos retorqueret, quorum id mandato & consilio effecerat. Plura de his videri possunt in Dialog. III. Sulpitii Sev. qui est de virtutibus Martini, cuius Cap. XI. XII. XIII. prolixè narratur, quomodo Imperator, in bona hæreticorum inhians, (eò quod exhaustum esset reipublicæ ararium, ipse verò ferè semper in expeditione atq; procinctu bellorum civilium constitutus, quibuslibet occasionibus subsidia imperio pararet) tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere decreverit, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent: B. Martino verò præcipua cura fuerit, ne tribunum cum jure gladiatorum ad Hispanias mitterentur: piam enim illi fuisse sollicitudinem, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret: quodque abstinuerit à communione eorum Episcoporum, qui Imperatorem ad arma hæreticis inferenda impulerant; & quanquam illi eum non solum defensorem hæreticorum, sed vindicem quoque appellarent; ipse tamen non priùs communicaverit, donec impetrasset ab Imperatore, ut tribuni jam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur.

§. XXIX. Sed neque eorum, qui Arianae sectæ addicti fuerant, perpetua consuetudo fuit, ut ad subjiciendos dissentientes in religione vim & arma expedirent. Certè Theodoricus, Ost-Gothorum Rex, Romanorum fidem & religionem integram & intactam servavit, neque quenquam Homousianorum ad Arianam sectam vi compelli voluit: passus etiam est Gothos ad Romanam fidem impu-  
nè transire. Vid. Cassiod. Lib. VIII. Variar. Epist. I. Theodabatus quoque, eodem teste Lib. X. Ep. XXVI. ad Justinianum Imperatorem scripsit:



scripsit: Cum divinitas patiatur multas religiones esse; nos unam ne audeamus imponere. Retinemus enim, legisse nos, voluntarie sacrificandum esse Domino, non cujusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentaverit, evidenter cœlestibus jussionibus obviabit. Merito ergo pietas vestra invitat nos ad talia, que nobis præcipiunt divina mandata.

§. XXX. Atque ita simul patet, Justinianum Imperatorem eandem cum Theodahato fovisse sententiam; eoque auctore Gothorum illum Regem ad mansuetudinem istam fuisse fortius impulsam. Itaque quod Ἀνεκδότων, seu *Historie Arcane*, Procopio Cæsariensi, velut Auctori adscriptæ, Confarcinator dicit: Justinianum primum excogitasse penas hæreticorum: equidem Nicolaus Alemannus, qui prolatum ex Bibliotheca Vaticana scriptum, publice defendere ausus est, cogitare debebat: hanc ipsam confessionem testari, quod prioribus quinque à Christo natò seculis atrocior ille modus ad tollendas hæreses usu receptus non fuerit: sed benè est, quod etiam aliàs, tum ex συνηγμένων monumentis, tum ex ipsius laudati Imperatoris Constitutionibus constat, eum gradus admonitionis ac censuræ, ad convertendos potius, quàm opprimendos hæreticos necessariæ ac proficux, sedulo atque accurate observasse; ita, ut primò omnium tentaret institutione ac doctrina meliore lucrari mentes errore occupatas: non autem nudò mandatò ad suæ religionis consortium, nondum informatos aut edoctos compelleret, aut ad publicationem bonorum vel tormenta properaret: quam in rem legi merentur, quæ scribit ICTus Celeberrimus J. Eichelius, Animadv. ad Anecdota illa, pag. 104. seqq.

§. XXXI. Quodsi ad eos accedamus, qui in occidentali Ecclesiâ ipsaque sede Romana eminebant, etiam exeunte seculo VI. nobis sese offert Gregorius M. qui non solum ipse mansuetiorem illam à Christo & Apostolis commendatam rationem in adducendis hominibus ad societatem fidei ac religionis observandam judicavit; verum etiam publice testatus est; *Novam atque inauditam esse istam prædicationem, quæ verberibus exigit fidem.* Ita enim ad Johannem Episcopum Constantinopolitanum scripsisse legitur Lib. II. Ep. cap.



cap. XCI. (seu Indict. XI. Ep. LII. p. m. 737.) & ne illud forte excidisse ei putes, observandum est, quod Lib. XI. Epist. XV. pag. m. 1133. ad Pascasium Episcopum Neapolitanum scripsit: *Qui sincerâ intentione extraneos à Christianâ religione ad fidem cupiens rectam perducere, blandimentis non asperitatibus debent studere, ne quorum mentes reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consuetâ ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probantur attendere.*

§. XXXII. Atque hæc quidem in Ecclesia Romana tanto in pretio fuerunt, ut Decretalibus ipsis infererentur: uti apparet *Distinct. XLV. cap. I. & III.* & quanquam Glossator, distinctione novâ adhibitâ moneat: *ad fidem neminem esse cogendum: Sed ut fidem receptam retineant, cogi homines posse:* aliena tamen hæc sunt à verbis & mente Gregorii. Quamvis enim de *Judeis* & similibus aliis, qui prorsus extranei sunt à Christianâ religione, ex instituto loquatur Auctor; manifestum tamen est, eum rationibus uti generalibus, quæ non solum ad infideles primùm adducendos; verum etiam ad hos, qui à fide in hæresin lapsi sunt, reducendos spectant. Nempe Gregorius argumentatur ex naturâ actuum, quibus conversio aliorum procurari potest, & ex adverso impeditur. Itaque *reddita ad planum ratione*, sive perspicuâ explicatione & solidâ confirmatione dogmatum credendorum, *mentes errantium revocari posse*, affirmat; *asperitatibus atque adversitatibus mentes errantium revocari posse*, negat: ac potius *procul pelli*, seu alieniores à fide reddi affirmat. Quod profectò non solum in casu adducendorum ad Ecclesiam infidelium; verum etiam in negotio reducendorum eorum, qui à verâ fide in hæresin lapsi putantur; ac vel maxime tunc, cum non tam (certè non solum) cum iis, qui seductores dicuntur, sed cum seductis, aut in coetu heterodoxo natis & educatis, adeoque præjudicio quodam occupatis agendum est. Ac notandum, quod contrarium sentientibus ac velamine Zeli pro religione sese ornantibus; *suas verò magis, quam Dei causas attendentibus*, aperte occurrit, ac fucum eos facere docet Romanus Præsul.

§. XXXIII. Ex adverso magnus ille impostor *Muhammed*, cum

cum religionem ex Christianismo vero & falso; Judaismo simul & Saracenisimo veteri conflata, propriis vero figmentis auctam, in orbem introducturus esset; infirmitatem autem ejus videret, ideoque nollet disputationibus eam ita à suis ventilari, ut in discrimen adduceretur: gladium sibi à Deo concessum finxit, ut reluctantes eò compesceret, & in ordinem redigeret: uti testatur *Survata XVII. Et Ahmed Ibn Edris apud Job. Henr. Hottingerum* in Hist. Eccl. Sec. VII. Sect. II. pag. 412. minime dissimulat, *Mubammedem*, cum primam in tradendam novam doctrinam glaciem fregisset, armis eandem propagare in mandatis habuisse. Unde morem illum natum esse observat *Hottingerus*, quo Doctores Muhammedani publice docentes strictum tenent gladium: idque ex *Richardo Minor.* in refut. Legis Sarac. p. 133. *Sveiggeri Itiner.* pag. 190. & *Job. Corovic. Itiner. Hieros.* cap. 5. pag. 160. jam recensuerat pag. 370.

§. XXXIV. Dignum verò est, quod observetur, iudicium *Ludov. Vivis* Lib. IV. de verit. fidei Christ. Cap. II. & III. Ubi cum memorasset Christianus, collocutor cum *Alfaquino*, homine Muhammedano, sententiam illam Muhammedanorum, quod Deus decreverit *Mubammedem* mittere sine miraculis, armatum, ut quos non movissent miracula (Mosis & Christi) cogerent arma: pergunt deinde colloqui: CHRIST. *Arma quorsum pertinent?* ALF. *Ad vim & ad cogendum.* CHRIST. *Quod si Deus aliquem vult cogere, quid illi opus est armis? annon, qui condidit & sustentat, fletere & cogere potest; quomocumque fuerit collibitum? Utrum est praestabilius, adducere animos in suam sententiam persuasione? an cogere corpora* ALF. *Persuadere.* CHR. *Lex cui datur, corpori an animo?* ALF. *animo.* CHR. *Et ex animo cui parti? memoria, an intelligentia, an volitioni?* ALF. *Huic tertia.* CHR. *An vero possunt arma aut ulla vires humana cogere?* ALF. *Minime.* CHR. *Quomodo ergo adducitur?* ALF. *Monendo, suadendo, rationibus, signis.* CHR. *Nihil potest dici eruditius. Est ergo legem Dei statuentis, non violentiam armorum cogere corpora, sed miraculis & suasionibus adducere animos. Hoc fecerunt Moses & Christus. Atque hæc locò cit. pag. 551. seq. prolixius tractantur, & jam ante lib. III. Cap. X. p. m. 501. similiter tradita leguntur.*

§. XXXV. Itaque tantum abest, ut mores Muhammedanorum sibi imitandos crediderint ejus ætatis Christiani; ut potius mentes manusque puras a violentia illa, qua, sub velamine religionis, suam potius, quam Dei, causam agunt homines, servare studerent. Equidem de *Carolo M. Francorum Rege & Occidentis Imperatore* Scriptores quidam memorant, eum gravibus ac diuturnis bellis Saxonas Idololatrias ad Christum convertisse: nec desunt, qui propterea de justitia bellorum istorum disputant. Alii tamen, & Francorum quidem scriptores, quique eos sequuntur, causam illati à *Carolo* belli in Saxonum perfidia & adversus Francos ac religionem Christianam ab illis cultam usurvata violentia collocant. *Eginhardus* in vita *Caroli M. Cap. VII.* de bello Saxonico tractans *Suberant & cause*, ait, *qua quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri & illorum, penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel sylva majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite determinant, in quibus cædes & rapina & incendia vicissim fieri non cessabant.* Quibus adeò *Franci* sunt irritati, ut jam non vices reddere, sed apertum contra eos bellum, quod magna utrinque animositate, tamen majore Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Sive itaque à Saxonibus Francos, sive hos ab illis lacesitos dicas; sive etiam religionis diversitatem ad disjungendos utriusque gentis animos aliquid contulisse ad bellum istud dicas; præsertim quòd *Eginhardus* Saxones cultui demonum deditos, & religioni Francorum contrarios dicit: & quòd *Regino Prumiensis, Lib. II. Chronic.* memorat, *Carolum* quidem destruxisse fanum celebre *Hermansfaulanum*; Saxones contra omni intentione certasse adversus *Basilicam Friedislariensem*, quam *Bonifacius martyr* consecraverat, ut igne cremare possent: ex his tamen neutiquam evincetur, Ecclesiam Christianam ejus temporis judicasse, quòd adversus homines à vera fide alienos, verum innocentes & quietos, velut perducendos ad fidem ac religionem veram, armis utendum sit.

§. XXXVI. Imò verò usque ad *Theophylacti* ætatem, (is autem seculi XI. scriptor est) creditum fuit, quòd libera voluntatis sit fides, neque quisquam cogat nolentem credere. Ita enim ille scripsit ad





ad II. Corin. 1. vers. ult. Et cum in enarratione parabola de zizaniis una cum bono semine in eodem agro ad messem usque, ex mandato Domini tolerandis, *Matth. XIII.* versaretur; *DEUS*, ait, non permittit hereticos bellis consumi, ne simul patiantur consumanturque & iusti.

§. XXXVII. Sed cum circa eadem propè tempora *Gregorius VII.* antea dictus *Hildebrandus*, sedem Romanam tenens, inter caetera decreta quae *Dictatus* appellavit, credere homines iussisset, Num. XVII. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque Romani Pontificis auctoritate. Num. XVIII. Quod sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit. Num. XIX. Quod à nemine ipse judicari debeat. Num. XXII. Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum Scripturâ teste, errabit. Num. XXVI. Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae Ecclesiae, atque hinc coniret, ut iudiciis Ecclesiae Romanae & constitutionibus ejus obviare, planè esset haereticae privatis notam incurrere: cum Scriptura (i. e. decretum *Hildebrandinum*) dicat: *Haeticum esse constat, qui Romana Ecclesia non concordat*: quae sunt verba *Ivonis*, Carnotensis Episcopi ad Archiepiscop. *Senon.* apud *Baron.* ad Ann. Christi 1092: confirmant autem, verum esse, quod *Naclerus* scripsit in *Chronographia* sua gener. 26. *Sub hoc Pontifice (Gregorio VII.) Ecclesia novis & inauditis Schismatum erroribus periclitari coepit*: cum, hæc, inquam invaluissent; & post ea tempora *Waldenses* innotescerent (quos etiam *Albigenses*, *Albienses*, *Pauperes de Lugduno* & aliis nominibus pluribus appellabant,) qui cum benè omnia de Deo crederent, & omnes articulos, qui in Ecclesia continentur, reciperent; præter Sacrorum Bibliorum textum autem nihil in Ecclesiam admitterent, non decreta, non ~~de~~ decretales epistolas, non sanctorum legenda, non Ecclesiae traditiones; de Ecclesiâ verò Romanâ docerent, non esse Christi Ecclesiam, sed Ecclesiam malignantium, Papam esse omnium errorum caput & fontem, Ecclesiae Romanae Antistites, Scribis Judaeorum, Monachos Phariseis conformes, à doctrinâ Evangelii ad humanas traditiones deflexisse. &c. uti refert *Fr. Rainerius Sackonus*, qui circa annum 1250. libros IV. contra *Waldenses* scripsit; & ex eo *B. Job. Gerhardus*

Lib.

Lib. I. Conf. Cath. non solum pro hæreticis habiti, ac publicè declarati; sed & vi, quanta data est maxima, illorum seu reductio ad obsequium Romanæ Ecclesiæ, seu oppressio atque excisio quæsita fuit. Præcipuè *Innocentius III.* R. P. indulgentias pares pollicitus est illis, qui *Albienses* illos bello invaderent, atque illis, qui *Saracenos* oppugnatum irent; ac quæ in bellum sacrum contra juratos Christiani nominis hostes indicta erat pecunia, eam in Waldensium necem intervertebat, ac simul inquisitionis (velut in hæreticam pravitatem) adminiculo ad tollendos illos utebatur. Et quamvis experientia doceret, media illa ad lucrandos animos necquicquam prodesse, ac potius *Rainerius* ipse conquereretur, nullam ferè terram esse, in quâ hæc secta non serpat; atque ita per sequentium seculorum decursum variis in locis reliquæ quædam Waldensium in lucem prodirent, factum tamen est, ut subinde ad opprimendos eos magna sollicitudine consilia agerentur.

§. XXXIIX. Ecce verò, quomodo se prodiderit diuersitas rationis hujus, velut ad propagandam fidem adhibitæ, à genuina veteris Ecclesiæ Constantinæ praxi quando, qui armorum usum in hoc negotio inprimis commendarunt; vel imprudentes facti fuerunt, eam Antichristo potius & asseclis ejus, quàm Christo ipsi & Christianis convenire. Prodiit sub initium seculi superioris in arenam, contra Waldenses scriptis publicis pugnaturus, *Jacobus Zieglerus* Landaviensis, & scripta ejus *Dipsia* apud *Melchiorum Loterum* Ann. 1512. in folio typis excusa prostant: ubi ille quidem passim ac præcipue in *confutatione Epilogi Waldensium extemporaria*, & in Lib. IV. de *Sacerdotio* acerrime invehitur in Waldenses, inprimis ideò, quod *Papam Antichristum* dicerent; verùm sub finem libri ultimi, Regi Hungariæ, *Uladislao*, quem ad opprimendos illos summo conatu impellit, viam monstraturus, quâ negotium illud commodissime perfici queat, hortatur, ut tali aliquo consilio reprimentur, quo olim *NB. Antichristus secundum Apocalypsis Prophetiam in Christianam confessionem utetur. Nemo emet; nemo vendet, nemo in Magistratu sedebit: infamia omnia, privata & publica erunt: interdictum aqua & igni omnibus, qui characterem bestie Antichristi in fronte & manu non habuerint. Recte, ait porro Zieglerus,*



uis, hoc tempore, quò stat adhuc Christiana potentia, percussis ab  
 ejusmodi arte NB. suâ Diabolum in Pigbardis. Multa sunt ignominie  
 civiles: ab his unâ vel pluribus pro perfidia Pigbardi notentur: fiant  
 per oppida & rura quâcunque notâ insignes, tanquam Judæi, de  
 Magistratibus multam, quisquis per hebdomadam apud Christiana  
 sacra non adoraverit, verbum Dei non audivit, per annum partici-  
 pata Christiane communionis rationem non protulerit: interdicator,  
 quemadmodum Judæis, ne cuiquam super propria perfidia colloquan-  
 tur, puniantur ex parte substantiâ transgressores &c. Non potuit,  
 neque ausus est unicum hujus consilii exemplum, ullius ex  
 inculpata Ecclesia veteri Principis aut Doctoris, allegare; ad eu-  
 jus imitationem suæ ætatis homines excitaret. Cum autem proprie-  
 tates Antichristi induere, & diaboli artes discere atque usurpare  
 jubet, sub opinione quidem & cum vanâ pollicitatione percutiendâ  
 suâ illâ arte diaboli: nemo vel mediocriter attendens non intelliget,  
 quò spiritu agitante fabula illa ludenda fuerit.

§. XXXIX. Itaque cum eodem seculò B. Lutherus corru-  
 ptelas doctrinæ & Sacramentorum ac regiminis Ecclesiastici mani-  
 festas arguere cœpisset, & ad palinodiam canendam, antequam ad  
 Scripturæ normam causa cognita & dijudicata esset, compelli se non  
 pateretur; interim, quòd Romanæ Ecclesiæ auctoritatem minuisse vi-  
 deretur, hæretici notam incurreret; equidem Leo X. Papa Rom. cum  
 solâ excommunicatione terrere Lutherum & Socios non posset, se-  
 culares quoque Potestates excitare ausus est, ut hæreticos à se de-  
 claratos pœnis civilibus variis afficiant, ac vel ad obsequium Ec-  
 clesiasticum compellant, vel pessudent: Sed tamen inter ipsos  
 Romanæ Ecclesiæ tunc adhuc addictos viros bonos ac prudentes,  
 ipsosque Principes, non defuerunt, quibus ista violentia displice-  
 ret, ita ut aliam mitiorem, & mentibus in religionis negotio rectè  
 conciliandis convenientiorem viam ineundam esse statuerent. In-  
 primis notum est, quàm sollicitus fuerit Carolus V. Imperator, ut dis-  
 sidia religionis, citra violentiam armorum, in concilio libero &  
 Christiano, ad Scripturæ normam facta collatione capitum contro-  
 versorum, componerentur; quàmque ægrè se adduci passus fuerit,  
 ut arma Protestantibus opponeret; graviter interim à Paulo III.

D

re-

Pont. Rom. reprehensus, ac monitus, ut *qua nimia quâdam lenitudine rebellibus illis atque Romana sedis adversariis concesserit, ea rescindat, & omnia tollat, nam alioqui futurum, ut nisi muneri suo deesse velit, maximo quidem Ecclesie cum detrimento severius agere cum ipso cogatur &c.* Vid. Steidanus Comment. de statu Relig. & Reip. Lib. XV.

§. XL. Multò magis autem, postquam variò Marte & minùs felici exitu gestum esset bellum, stimulante Curia Romanâ occoepum adversus Protestantes; agnoverunt *Carolus* pariter Imperator & Frater ejus ac Successor *Ferdinandus I.* nullam esse commodiorem viam, eos, quos à fide Christianâ alienos, aut in avia delapsos putabant in viam reducendi, & ad spontaneum Dei cultum revocandi, quàm, si verbò & Spiritus potentiâ convincantur, errantes sanabilesque cum mansuetudine tractentur. Atque ita in *Transactione* pariter *Passaviensi*, & secuta Ann. 1555. *Pacificazione religiosa* pleniore sancitum est, ne posthâc ad dissensum in religione tollendum, violentiæ ac persecutionibus locus concedatur: uti verba expressa & prolixiora, quàm quæ huc adduci queant, testantur. Paucis notamus, quod *Joh. Crato* in epistola præliminari historiæ Bohæmicæ *Joh. Dubravii* memorat, *Ferdinandum* Imperatorem crebris sermonibus ante obitum testatum fuisse, *inter summa, quæ Deus in gubernatione Imperii ipsi concessisset, primum atque maximum hoc sese ducere, quod ad sedandas discordias publicas animum adjecisset, & tolerantie in religione formulam Deus sibi in mentem dedisset.* Post ea quoque tempora *Maximilianus II.* Imperator ad *Casparum Schwendium* scripsit: *Es ist in der Wahrheit nicht anders, als ihr vernünftiglich schreibet; daß Religions-Sachen nicht mit dem Schwert wollen gehandelt und gerichtet werden / kein Erbarer / Gott-fürchtiger und Friedliebender wirds auch anders sagen.* Exhibet Epistolam illam Anno 1574. d. 22. Febr. Viennæ ab Imperatore scriptam, *Melch. Goldastus* Tom. II. *Constitt. Imperial.* p. 304. in qua etiam porrò hæc leguntur verba: *Longè aliud nos docuerunt Christus & Apostoli ejus. Nam ipsorum gladius erat lingua, doctrina, verbum Dei & vita Christo digna, ipsorumque mores invitare nos debent atque illicere, ut eos sequamur: quemadmodum & ipsi Christum secuti sunt. Taceo, quod insanum illud genus hominum oportebat in*



tot annis iam vidisse atque expertum esse ipsis rerum argumentis & eventu ipso, suppliciorum crudelitate, sectionibus, inquam, & ustionibus non posse hanc rem confici. Breviter, ipsorum actiones mihi minime placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte, (quod tamen serio deprecor, ne fiat,) Deus permittat, ut in furias & insaniam prolabat. De eodem refert laudatus Crato, in orat. funebri, quod crebro dicere consueverit, nullam intolerabiliorem esse Tyrannidem: nec ullum gravius peccatum, quam dominari velle conscientis: Eos vero, qui in conscientias sibi imperium sumunt, caeli arcem invadere, nec raro potestatem, quam in terris habent, amittere. Itaque non immerito G. Cassander in Epilogo Consultatt. pag. m. 188. 189. scribit: Agimus gratias aeterno Deo & vivo, qui nostri, ut spero, misertus hunc animum T. M. addiderit, & tandem legitimis & opportunis mediis gravissima Ecclesiae vulnera curari voluerit, omisis mediis illis violentis & importunis, haecenus imprudenti consilio, infelici eventu usitatis, quae Ecclesiae plagam non modo exasperarunt, sed propemodum etiam immedicabilem fecerunt.

§. XLI. In Gallia quoque A. 1555. cum Rex de extirpandis Hugonotis severum edictum promulgasset, Senatus Parlamenti Parisiensis meliora svasurus, scripsit: *Aequum videri, ut potius NB. Veteris Ecclesiae vestigiis insistatur, quae non ferro & flammis in religione constituenda ac propaganda, sed puriore doctrina & honestis vitae Antifitum exemplis rem confecit: uti refert Jac. Aug. Thuanus Lib. XVI. Histor. p. m. 332. B. De Henrico III. Galliarum Rege refert Lucius de Monte Wolgeratenfi in discursu Histor. Pol. A. 1631. Quod morti vicinus ad proceres Regni dixerit: Remittendam esse differentiam Religionis ad convocationem statuum Regni; ac, se monente, cogitandum, quod pietas sit debitum hominis erga Deum, super quem non valeat quicquam brachium humanum. Et de Henrico IV. Rege, quod dixerit: Se iam pridem edoctum, veram & unicam rationem, populos ad cultum Dei conciliandi, pietatem stabiliendi, esse clementiam, pacem, salutaria exempla; non bellum, neque omnium rerum promiscuam confusionem, ex qua omnium scelerum & flagitiorum propago redundet. Quibus accensere licet, quod ex Dinethi Histor. Gall. Lib. 6. fol. 488. memorat Christ. Matthiae Theat. Histor. p. m.*



17. Non gladio sed persuasione ac vi doctrina, in cordibus hominum religio plantatur & honesto vita exemplo confirmatur.

§. XLII. Celebratur etiam Stephani Batorii Poloniae Regis grave dictum: Deum sibi tria reservasse; 1. ex nihilo aliquid facere, 2. futura scire, & 3. conscientiam dominari: & extant plura ejus edicta publica, quibus violentiam in religionis negotio improbat, seque libertatem conscientiarum Deo committere; interim tueri cupere, declaravit.

§. XLIII. Ceterum in hanc rem legere juverit integram Epistolam Nuncupatoriam Operis Historici, J. A. Thuani ad Regem Galliae Henricum IV. quae prolixè ostendit, violentiam in propaganda fide adhibitam pugnare cum voluntate Dei & moribus Ecclesiae purioris; noxiam magis esse quam utilem, nec ullatenus excusandam. Cui alii immoderati ac prudentes non pauci intra ipsius R. Ecclesiae pomeria consenserunt de quibus vid. B. Gerhard. Conf. Cath. L. I. P. II. Cap. XIX. p. 817. seqq. Hic tres tantum adducemus, ac primum quidem Gerbardum Busdragum, Episcopum Argolicensem & Suffraganeum Batavinum, qui cum per annos XX. officio inquisitorio addictus fuisset, tandem conscientiae stimulis urgentibus scripsit ad Franciscum Card. Pisanum Ann. 1558. d. 15. Decembris, Paduae; Inquisitiones illas, quibus tam sollicitè utantur, quibusque tantopere confidant Pontificii, sibi non videri sufficere ad extinguendas favillas aut potius carbones &c. addit autem, se in Canonico Jure, in quo sit à puero versatus, nullum unquam reperisse titulum de Inquisitoribus, & proinde opinari, quòd apud Majores nostros minime fuerint in usu ista Inquisitiones, quas hòc tempore (ait) tanta sollicitudine exercemus atque urgemus. Sed tantum (pergit) legi, Imperatores aliquos Tyrannos, fidei Christiana hostes, jusse fieri persecutiones in Christianos & eorum sanguinem fundi. Sed quòd antiqui Pontifices & Patres jusserint tales inquisitiones fieri, & sanguinem eorum fundi, qui essent Baptizati & articulos fidei confiterentur (ut planè confitentur Lutherani, neque est dubium) nunquam, meminisse, me legisse, nec puto fuisse unquam factum: Neque dici potest, quòd olim nulla fuerint haereses: fuerunt enim diversis temporibus & quidem gravissima, quae jugulum Christianismi petebant; in primis Arianorum illa, illa terribilissima, quae negabat Christum esse consubstantialem

tialem Patri, & totum fere orbem occuparat, defenditurque nunc à Muhammetanis ferrò atque igne. Nunquam autem Majores nostri, ut illam extinguere, sanguine Baptizatorum se polluerunt, ut nunc in Papatu fit, aliquando etiam ob esum carniùm duntaxat. Quare, si in reliquis rebus solemus semper provocare ad id, quod Patres & Pontifices fecisse legimus ( & hæc est præcipua nostra defensio ) cur in hæc causa longè diversum facimus, quam illi fecerint? Totam Epistolam videre licet apud Dorothæum Ascianum ( i. e. D. M. Z. ) S. Theol. D. in tractatu de Nervis Rerum Gerendarum Romane Eccl. (quam Montibus Pietatibus Romanensibus Historicè Canonice Theologicè detectis præmisit) Nervo III. pag. 475. seqq. Busdrago adjungimus Josephum Acoftam, Jesuitam Missionarium, qui per annos XIX. in America vixit, & de promovenda Indorum salute libros sex Latine primùm, postea Hispanice edidit; dumque consilium suum, longò rerum usu ac judicio firinatum, exponit, quomodo Indi præsertim Peruani tractari, & quibus rationibus ad fidem Christianam converti queant; quæ operi occurrant obstacula, quæ cavenda sint scandala &c. inter alia Lib. I. cap. XIII. scribit: *Nihil ita fidei susceptioni adversatur, atque vis omnis & violentia. Non enim fides est, nisi volentium, ut proverbii loco sit illud Augustini: Cetera posse hominem etiam nolentem, credere non nisi volentem.* Et Lib. II. cap. IV. Res ipsa, ait, satis clamat, per se omnino verum esse, quod scribit Gregorius: *Qui fidem asperitatibus propagari volunt, suas non Dei causas probantur attendere.* Tertium denique citamus Angelum Mariam Vericellum, qui in tract. de Missionibus Apostolicis ( Anno 1656. edito, & Cæetano Thieno Theatinorum fundatori dedicato, cum approbatione superiorum ) tit. XIII. quæst. 182. cum adversus debellationem Indorum disputaret, rationes ejusmodi attulit, quæ non solum ad infideles non debellandos, sed etiam ad eos, qui in hæresin lapsi creduntur, non persequendos valent: v. g. fundamentum III. *Evangelium ex institutione Christi predicandum esse, annunciando pacem, non indicendo bellum.* Fundamentum IV. *Christum misisse Predicatores suos, sicut oves inter lupos ( non ut lupos inter oves ) qua forma prædicationis instituta sit usque ad finem mundi. Non bene se res fidei habuisse, cum milites Prædicatores comitati sunt.* Fundamentum VI. *Armis fidem*

*dem propagare, esse ipsissimum Mahomedis, dogma dicentis in Alcorano: Pugnate cum hominibus, usque dum fiant Muhammedani. Sic male dici: Pugnate cum Indis (Hæreticis) usque dum fiant Christiani (fideles). Fundamentum X. Non posse bellò peti infideles (hæreticos) eò, quod Christi fidem non suscipiant: ergo nec ex eo, quod Vicarii Christi dominium non recognoscant. Atque hæc nobis inde suppeditavit D. Matthias Zimmermannus in Analectis Menstruis, Mens. IV. Num. III. pag. 176. 177. 178.*

§. XLIV. Quodsi verò quæras, quâ ratione factum sit, ut nihilominus aliquando deprehendantur exempla, utentium violentiâ externâ, tanquam ad propagandam fidem? respondet Erasmus in Præfat. Dedicatoria Operum Hilarii à se editorum. *Quum vita (Christianis digna) nos destituat, quum fides sit in ore magis, quàm in animo: quum solida illa sacrarum literarum cognitio nos deficiat; tortoribus huc adigimus homines, ut credant, quod non credunt; ut ament, quod non amant; & intelligant, quod non intelligunt. Addit autem hoc epiphonema: Non potest esse sincerum, quod coactum est; nec Christo gratum est, nisi quod voluntarium.*

§. XLVI. Atque hîc quidem abrumpendum magis, quàm finiendum est. Scilicet pro argumenti amplitudine & gravitate multa adhuc dicenda forent; sed temporis penuria, imminente discessu ex hâc Academia, mihi obstat. Credo autem, ex his, quæ allata sunt, non obscure patere; quòd propagatio fidei per arma, aut vim errantibus infligendam, nec à Christo Apostolis mandata, aut exemplò tradita, aut laudata; potiùs his, quæ illi de ratione convertendi eos, qui fide carent, docuerunt, adversa fit & contraria: quodque ad Veterum quidem tyrannorum, qui Gentilismum aut hæreses tueri ac propagare statuerunt; ipsiusque Antichristi in Scripturis prænunciati ingenium & mores: non autem ad mansuetudinem Christianorum orthodoxorum ac piorum accedat: ideòque non solum sæculis à nostro remotioribus, sed & Avorum nostrorum memoria, à Viris principibus ac Literatis moderatioribus, repudiata fuerit. Neque tamen ideò vel hæreticis plena licentia & impunitas conceditur, aut summorum Magistratum jus & potestas circa Sacra minuitur, aut tollitur: sed





sed ne mala fiant, sub vana pollicitatione aut spe honorum inde eventurorum; necessariò cavetur. Itaque genuina ratio & praxis propagandi fidem & convertendi seu infideles, seu hæreticos & apostatas, nihil detrimenti patitur: Sed ne sub specie religionis ac zeli causa humana ad explendos affectus, seu nostros seu aliorum, agatur, & cum fidelium numerum augere videmur, martyres potius, aut hypocritas faciamus, postulatur: quemadmodum & veteres ista distinxisse constat. Ergo ne in his quæramus nostram gloriam, sed exhibeatur semper

## SOLI DEO GLORIA.

JOHANNES GUILLIELMVS BAIERVS

SS. Theol. D. & Prof. Publ.

VIRO JUVENI

*Nobilissimo & Doctissimo*

DN. CONSTANTII à Geldern / Rev. Livono

S. Theol. Cultori felicissimo,

Amico plurimum dilecto & honorando


S. P. D.


**B** quidem, quando Tibi, eruditionis Theologicæ specimen publicum edituro, illud præ aliis placuit argumentum, quo *Propagationem Fidei aut Religionis Christianæ per vim armatam, à praxi veteris Ecclesiæ alienam esse* ostenturus eras; facile mihi fuit, materiæ dignitatem & conatum in talibus laudabiliter exhibendum agnoscere: Cumque ex paginis istis, quas in eam rem abs Te conscriptas mihi attulisti, Studium pariter honestum & profectus in doctrina sacra egregios videre, & spem de futuris meritis tuis in Ecclesiæ ac rem literariam concipere mihi licuerit: merito sanè Tibi gratulor, atque ut posthac, Divinâ ope, rem omnem prosperè geras ex animo precor. At Tu, Amice, Deum quoque unâ mecum precare, ut Ecclesiæ nostræ intentata ab hostibus pericula avertat, nec committat, ut qui nos à sua religione, falsa licet, alienos, hæreticos vocant, & conversionem nostram desiderare ac fitire se per-

hi-

hibent; cū docendo se posse desperent, vim inferendo ad suas partes pertrahere nitantur. Fortassis enim nec hodiē defunt, qui cum *Francisco Costero*, Jesuita, fatentur quidem, *sanctos Apostolos & primos Ecclesie fundatores non inferendo Regibus bella, non invadendo Principum civitates, non occupando per vim alienas terras, non mortem minitendo, non tormenta inferendo, Ecclesiam plantasse, & per orbem terrarum longè latèque propagasse: sed obediendo, patiendo supplicia, martyria, mortes tolerando, sanguinem suum fundendo, sancta stabiliaque Ecclesie Christi initia dedisse: Christum enim non armis, aut humana virtute sed humilitate subicere sibi orbem voluisse: hancque vim & efficaciam sanguini martyrum sanctorumque afflictionibus dedisse, ut semina essent multorum bonorum &c.* tamen ut persuadeant, constitutam jam Ecclesiam, Principes & Reges edictis & legibus & pœnis in Hæreticos sine culpa seviris posse: dicunt, eos non aliena invadere sed sua conservare sibi que subiectos ad officium & juratam fidem adigere. Cumque non possint ostendere, hac ratione animos errantium ab errore liberari & in sententiam meliorem reverà perducī; obtendunt tamen, scire Principes, quanta blasphemia sit Hæresis; scire quàm irrequietum sit malum; quod pacem publicam turbet, aliosque secum ad perniciem trahat. Nempè si hæresis est, acquiescere in revelatione Scripturis comprehensa, neque eodem pietatis affectu amplecti dogmata fidei ac morum ἀνεγγραφα & incertæ originis traditionibus adscribenda; credere unam sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ sit communio sanctorum; non autem ad externum splendorem cœtus visibilis parum coherentis, & Caput visibile quidem præse ferentis, non tamen eò, quo ipsum postulat, honore & obsequio colentis spectare, & fidem suam illius auctoritate fulcire: si deinde in homines, hoc nomine pro hæreticis habitos, sub specie blasphemie, irrequiei, aut pacis publicæ turbata, ac pernicii aliis intentata seviris licet: profectò nunquam securi esse possumus: sed Deus invocandus est, ut qui inter supplicia, martyria & mortes multorum confessorum sancta stabiliaque Ecclesie suæ initia dedit, constituta jam Ecclesia nostri misereatur, neque nos ultra id, quod tolerare possumus, tentari patiat; ac tandem glorioso adventu communis Judicis nostri discernat inter veritatem & errores, ad nominis sui gloriam & nostram in Domino victoriam! At Tu, mi Amice, vale iterum iterumque sub umbone Altissimi! Scribebam Jenæ die  
XXII. Martii A. C. clō lōc LXXXVI.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

16  
THEOLOGICO - HISTORICA,  
*DE*  
ATIONE FIDEI

ARMORUM,

*à*  
ECCLESIAE  
ANÆ ALIENA,

*Quam*  
inuno adspirante,

*Præsidio*

WILIELMI BAJERI,

idemque Facultatis Profes. Publ.

studiorumque suorum Promotoris,  
c observantiae cultu etatem  
prosequendi,

auditorum Examini subjicit

*à* Geldern / Rev. Livonus,  
orio Theologorum

ii A. C. M. DC. LXXXVI.

iteris Bauhoferianis.